QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 8. Martii 1714.

M. GERMANO PREAUX, Doctore Medico, Regio Professore, Præside.

An vigens in senectute appetentia vitæ longissimæ argumentum?

I.

QUÆ solidissimum quodcumque corpus, quotidiè imminuit, tandemquè consumit damnosa dies, humano tenero ac fragili non parcit: huic principiorum suorum mobilitas, & juge ac indesinens partium quibus constat, effluvium ruinam ineluctabilem minantur; nil igitur miserantis orci victima, morti debetur homo; [a] *quis est enim qui vivet, & non videbit mortem?* [b] lignum vitæ, quo comesto æternùm vixisset Adam, ipsi totique suæ prosapiæ ademptum; pharmacum immortalitatis, si quis quærit, is lapidem philosophicum quærentis frater est. At immortalitatis sibi negatæ defectu, quidam stupentes in titulis & imaginibus, & amore gloriæ tracti, nihil intentatum relinquunt, ut non omnes moriantur, & multâ parte sui vitent libitinam; hi pro laude vitam pacisci non dubitant. Alii non ita gloriæ appetentes & avidi, super terram diutiùs malunt, quàm in annalibus vivere, & vitam quam non possunt facere æternam, longissimam saltèm, quantâ possunt industriâ, efficere conantur. Cur autem vitæ longitudinem tanquam bonum non spectent ac plurimi non faciant, quam [c] Deus pro justitiæ pietatisque mercede pollicetur, & concedit? Optanda igitur ab omnibus, at non omnibus optanda: sunt nefarii, sceleratique homines, quorum vita longa timenda est; sunt virtutis expertes, fruges consumere nati, & ita viventes, ut frustrà nati videantur; hos diù vivere parùm interest: at viri sunt heroïcis virtutibus inclyti, primarum artium maximè principes, custodes gentium, patres urbium, populorum spes fidissima, quibus sospitibus regna vigent; ex quorum vitâ pendet omnium salus, & securitas: his tanquàm immeritis mori, immortalitatem, si fieri posset, optarent omnes; precantur saltèm, ut post Nestoreos annos, seri in cœlum redeant.

[a] *Psalm.* 88. 49. [b] *Genes. c.* 3. [c] *Exod. c.* 20. *Deuteron. c.* 25. *Proverb. c.* 3. *c.* 10.

II.

VITÆ longitudini suæ causæ, sua signa sunt; verùm cave ne illius causas deduci putes, ab *horoscopo*, sive astro nativitati præsidente, quod longam (ut putant Astrologi) fortunatamque vitam efficiat, si fœlicibus *influentiis*, & placido lumine nascentem viderit: cave ne illius signa eruas ex certis lineis, quas in manibus observant Chiromantici, & vitæ longitudinem, si longæ fuerint, portendere, autumant. Apage artes, quarum principia nulla sunt, infidæ observationes, dubiæ experientiæ: apagè viros, qui nugis canoris, speciosis rerum vocabulis illudunt; qui vanis pollicitationibus plurimis gratissimum errorem fovent. Si amas bonam mentem, ne dubiæ horæ spe, pendulus fluites, hæc omnia risum, jocumque feceris: si solidioris doctrinæ cupidus, veram longitudinis vitæ causam quæris, hæc est: bona valetudo sine qua ut beata, sic longa esse vita nequit, vera longævitatis causa est; quis enim absque ipsâ, canitiem & longos annos sibi promittere audeat? pendet hæc a duobus potissimùm, ab optimâ temperie, & recto ac legitimo rerum non naturalium usu: frustrà enim quispiam a naturâ temperiem optimam fuerit nactus, nisi sciat ipsam accuratâ vivendi lege, & attentâ rerum non naturalium procuratione tueri; hæc duo simul cùm reperiuntur & amicè conjurant, longam vitam pollicentur: hæc autem duo adesse, certissimum est argumentum vigens appetentia, in senectute præsertim, in quâ bonum illud tantò præstantiùs æstimari debet, quantò rariùs.

III.

PENDET optima temperies, à debitâ rerum fluidarum crasi, & idoneâ partium solidarum principum quidèm, & vitæ magis necessariarum, compositione: ast & fluidas, & solidas partes, benè ac secundùm naturam se habere, demonstrat vigens appetentia. Hæc, succi alimenta in ventriculo dissolventis; hic partium fluidarum, & sanguinis crasin laudabilem denotat. Succus ille mirabilis, ac sine vi potentissimus constat ex partibus salinis, sulphureis & aqueis, quas ex mole sanguineâ, fluidorum omnium scaturigine mutuatur. Moles sanguinea si crasin habet vitiosam, sales crudos, acres, aut acidos; sulphura impura, crassa, ferventia; humiditatem nimis aqueam, & spiritibus destitutam ventriculo suppeditabit, hujus *dissolvens* vitiabitur; & languens evadet, aut depravata, aut effera, aut canina appetentia: at benè constituta moles sanguinea nil nisi bonum suggeret ventriculo, undè *dissolvens* numeris omnibus absolutum & vigens appetentia exurget. Nec minùs hæc solidarum partium diathesin arguit: has inter & ventriculum est veluti fœdus quoddam, & bonorum malorumque communio; [a] *ut se habet ventriculus, ita & totum corpus*: dum valet & officio suo ritè fungitur, toti corpori benè est; quidquid delinquit, quidquid delirat, plectitur innoxium corpus; at [b] *cùm partium corporis aliæ aliis morbum faciant*, illæ dolentes, sunt vicissim ventriculo dolendi causæ. Si pars quæpiam dolore acuto, ulcere, abcessu, marasmo, aut alio gravi affectu tentatur, appetentia perit, & magna moventur stomacho fastidia, ipso in mali

a *Hipp. 4. de morbis.* b *Hipp. de locis in homine. 2.*

consortium tracto, sivè per sanguinis circuitum, sivè per mirabilem nervorum sympathiam; nec ipsum tuentur calor & spiritus, quos ex se habet, aut ex vicinis partibus mutuatur, nec tot nervi per ipsius substantiam disseminati, nec trium membranarum robur & velut æs triplex. Si vigeat igitur appetentia, benè conjicias in solidis partibus nihil subesse vitii.

I V.

RES non naturales vulgò sex numerantur aër, cibus, & potus; somnus, & vigilia; motus, & quies; excreta, retenta; & animi pathemata: earum nulla est, quæ ut ad juvandam aut lædendam sanitatem, sic ad augendam minuendamve appetentiam, imprimis non conferat, pro ut bona vel mala; bene vel malè administrata fuerit. Quantum aër purus, tenuis, amœnus, turbido crasso caliginoso; quantum temperatus calidiori ad excitandam appetentiam præstet, cognoscet facilè qui attenderit, quantum qui rusticantur, urbium incolas; qui in aëre temperato aut frigidiusculo vivunt, in calidiore degentes, comedendo superent. Si cibus debitâ copiâ & suavis assumatur, vigebit appetentia; evertetur si præter naturam copiosior ingeratur, aut injucundus: quemadmodum si vini sic immoderatior usus; nam ut [a] *aqua vorax*, sic & vinum appetentiæ inimicum, & qui sunt multi meri homines, edaces parum, cum paucâ Cerere, plurimum Bacchum consumunt. Somnus & vigilia moderationem non tenentes; vita otiosa, aut operosa nimis; vacuationes naturales immodicè profluentes, aut præter naturam suppressæ; vehementia animi pathemata, appetentiæ nocent dum spiritus & calorem, à quibus ventriculi *dissolvens* acuitur & animatur, aut extingunt, aut dissipant, aut avocant à ventriculo. Cùm igitur bonus rerum non naturalium usus, ad appetentiam tantopere conducat, in eo auream servare mediocritatem, & naturæ convenienter illos vivere certum est, qui semper appetentia vigent, præsertim si sint ætatis provectæ.

V.

[b] COMMUNE *est juvenibus plurimum habere caloris nativi maxima vigere appetentia, & copiosis alimentis egere; commune senibus parum habere caloris nativi, jejunium facillimè ferre, & paucis indigere nutrimentis:* verùm, ut sunt juvenes quibus imbecillis calor, languens appetentia, & modicis alimentis opus est; sic & senes reperiuntur calore plurimo abundantes, vigente appetentia donati, & non mediocriter edentes. Illi à pueris illico fiunt senes, nec convivia, nec exercitationes corporis norunt, nec sunt affines earum rerum quas fert adolescentia; languidi & inertes, nullum officii aut vitæ munus possunt exequi. Hi, opipare epulantur absque valetudinis incommodo, fontibus integris gaudent, agriculturâ se oblectant, exercitationes, quæ sudoris habent plurimum equitationem venationem ferunt, & (quod palmarium puto) maxima negotia sustinent, & muneribus quibusve necessitatis gravibusque perfunguntur: horum igitur senectus juvenilis, quemadmodum illorum senilis juventus. Quòd si senes

[a] *Hipp. Lib. 6. Epid. Sect. 4.* [b] *Hippocr. Aphor. 13. & 14. Sect. 1.*

acri præditos appetentia, cum ſenibus ordinariis conferre velis, hi ſunt incurvi, tremuli, labiis demiſſis, victi, veternoſi, decolores, macie ſuprema confecti; his genua labant, manibus tremor incidit, gelidus hebet ſanguis & frigent effœtæ vires: ſenectus talis morbus eſt; ſenes iſti, fabulæ. At ſenum bellè comedentium, qui color, nitor, quæ habitudo corporis? ſpecta cultum, faciem, greſſum, nil in iſtis quod ſenile videri poſſit, reperias: talis ſenectus cruda viridiſque, ſine querela eſt, & nulla habet quæ turpia celare debeat: ſenex igitur ſeni quid præſtat? Bene comedens, parum comedenti quid intereſt? Porrò cùm ætates temperamento ac viribus definiri magis debeant, quàm annorum numero, nonne ſenes iſtos, quibus exquiſitum temperamentum, longiſſimam pollicetur annorum ſeriem, in eâ ætate quâ alii ſenes eſſe ſolent, ferè juvenes eſſe cenſendum, & apud ipſos, plurimum ſupereſſe Lacheſi quod torquear.

Ergo vigens in ſenectute appetentia vitæ longiſſimæ argumentum.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS LE MOINE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1714.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.